

DE PRINCIPIIS NATURÆ

Thomas Aquinas

CAPITULUS I

Nota quod quoddam potest esse licet non sit, quoddam vero est. Illud quod potest esse dicitur esse potentia; illud quod iam est, dicitur esse actu. Sed duplex est esse: scilicet esse essentielle rei, sive substantiale ut hominem esse, et hoc est esse simpliciter.

Est autem aliud esse accidentale, ut hominem esse album, et hoc est esse aliquid.

Ad utrumque esse est aliquid in potentia. Aliquid enim est in potentia ut sit homo, ut sperma et sanguis menstruus; aliquid est in potentia ut sit album, ut homo. Tam illud quod est in potentia ad esse substantiale, quam illud quod est in potentia ad esse accidentale, potest dici materia, sicut sperma hominis, et homo albedinis. Sed in hoc differt: quia materia quæ est in potentia ad esse substantiale, dicitur materia ex qua; quæ autem est in potentia ad esse accidentale, dicitur materia in qua.

Item, proprie loquendo, quod est in potentia ad esse accidentale dicitur subiectum, quod vero est in potentia ad esse substantiale, dicitur proprie materia.

Quod autem illud quod est in potentia ad esse accidentale dicatur subiectum, signum est quia; dicuntur esse accidentia in subiecto, non autem quod forma substantialis sit in subiecto. Et secundum hoc differt materia a subiecto: quia subiectum est quod non habet esse ex eo quod advenit, sed per se habet esse completum, sicut homo non habet esse ab albedine.

Sed materia habet esse ex eo quod ei advenit, quia de se habet esse incompletum.

Unde, simpliciter loquendo, forma dat esse materiæ, sed subiectum accidenti, licet aliquando unum sumatur pro altero scilicet materia pro subiecto, et e converso.

Sicut autem omne quod est in potentia potest dici materia, ita omne a quo aliquid habet esse, quodcumque esse sit sive substantiale, sive accidentale, potest dici forma; sicut homo cum sit potentia albus, fit actu albus, per albedinem et sperma, cum sit potentia homo, fit actu homo

per animam. Et quia forma facit esse in actu, ideo forma dicitur esse actus.

Quod autem facit actu esse substantiale, est forma substantialis, et quod facit actu esse accidentale, dicitur forma accidentalis.

Et quia generatio est motus ad formam, duplici formæ respondet duplex generatio: formæ substantiali respondet generatio simpliciter; formæ vero accidentali generatio secundum quid. Quando enim introducitur forma substantialis, dicitur aliquid fieri simpliciter. Quando autem introducitur forma accidentalis, non dicitur aliquid fieri simpliciter, sed fieri hoc; sicut quando homo fit albus, non dicimus simpliciter hominem fieri vel generari, sed fieri vel generari album.

Et huic duplici generationi respondet duplex corruptio, scilicet simpliciter, et secundum quid. Generatio vero et corruptio simpliciter non sunt nisi in genere substantiæ; sed generatio et corruptio secundum quid sunt in aliis generibus.

Et quia generatio est quædam mutatio de non esse vel ente ad esse vel ens, e converso autem corruptio debet esse de esse ad non esse, non ex quolibet non esse fit generatio, sed ex non ente quod est ens in potentia; sicut idolum ex cupro, ad quod idolum est (cuprum) in potentia, non in actu.

Ad hoc ergo quod sit generatio, tria requiruntur: scilicet ens potentia, quod est materia; et non esse actu, quod est privatio; et id per quod fit actu, scilicet forma. Sicut quando ex cupro fit idolum, cuprum quod est potentia ad formam idoli, est materia; hoc autem quod est infiguratam sive indispositum, dicitur privatio; figura autem a qua dicitur idolum, est forma, non autem substantialis quia cuprum ante adventum formæ seu figuræ habet esse in actu, et eius esse non dependet ab illa figura; sed est forma accidentalis. Omnes enim formæ artificiales sunt accidentales.

Ars enim non operatur nisi supra id quod iam constitutum est in esse perfecto a natura.

CAPITULUS 2

Sunt igitur tria principia naturæ, scilicet materia, forma et privatio; quorum alterum, scilicet forma, est id ad quod est generatio; alia duo sunt ex parte eius ex quo est generatio. Unde materia et privatio sunt idem subiecto,

sed differunt ratione. Illud enim idem quod est æs est infiguratam ante adventum formæ; sed ex alia ratione dicitur æs, et ex alia infiguratam. Unde privatio dicitur esse principium non per se, sed per accidens, quia scilicet conci-

dit cum materia; sicut dicimus quod hoc est per accidens: medicus ædificat: non enim ex eo quod medicus, sed ex eo quod ædificator, quod concidit medico in uno subiecto.

Sed duplex est accidens: scilicet necessarium, quod non separatur a re, ut risibile hominis; et non necessarium, quod separatur, ut album ab homine. Unde, licet privatio sit principium per accidens, non sequitur quod non sit necessarium ad generationem, quia materia a privatione non denudatur; inquantum enim est sub una forma, habet privationem alterius, et e converso, sicut in igne est privatio æris, et in ære privatio ignis.

Et sciendum, quod cum generatio sit ex non esse, non dicimus quod negatio sit principium, sed privatio, quia negatio non determinat sibi subiectum.

Non videt enim potest dici etiam de non entibus, ut chimæra non videt; et iterum de entibus quæ non nata sunt habere visum, sicut de lapidibus. Sed privatio non dicitur nisi de determinato subiecto, in quo scilicet natus est fieri habitus; sicut cæcitas non dicitur nisi de his quæ sunt nata videre. Et quia generatio non fit ex non ente simpliciter, sed ex non ente quod est in aliquo subiecto, et non in quolibet, sed in determinato (non enim ex quolibet non igne fit ignis, sed ex tali non igne, circa quod nata sit fieri forma ignis), ideo dicitur quod privatio est principium.

Sed in hoc differt ab aliis, quia alia sunt principia et in esse et in fieri. Ad hoc enim quod fiat idolum, oportet quod sit æs, et quod ultima sit figura idoli; et iterum, quando iam idolum est oportet hæc duo esse. Sed privatio est principium in fieri et non in esse: quia dum fit idolum, oportet quod non sit idolum. Si enim esset, non fieret, quia quod fit non est, nisi in successivis.

Sed ex quo iam idolum est, non est ibi privatio idoli, quia affirmatio et negatio non sunt simul, similiter nec privatio et habitus.

Item privatio est principium per accidens, ut supra expositum est, alia duo sunt principia per se.

Ex dictis igitur patet quod materia differt a forma et a privatione secundum rationem.

Materia enim est id in quo intelligitur forma et privatio: sicut in cupro intelligitur figura et infiguratum. Quandoque quidem materia nominatur cum privatione, quandoque sine privatione: sicut æs, cum sit materia idoli, non importat privationem, quia ex hoc quod dico æs, non intelligitur indispositum seu infiguratum, sed farina, cum sit materia respectu panis, importat in se privationem formæ panis, quia ex hoc quod dico farinam, significatur indispositio sive inordinatio opposita formæ panis. Et quia in generatione materia sive subiectum permanet, privatio vero non,

neque compositum ex materia et privatione, ideo materia quæ non importat privationem, est permanens: quæ autem importat, est transiens.

Sed sciendum, quod quædam materia habet compositionem formæ: sicut æs, cum sit materia respectu idoli, ipsum tamen æs est compositum ex materia et forma; et ideo æs non dicitur materia prima, quia habet materiam. Ipsa autem materia quæ intelligitur sine qualibet forma et privatione, sed subiecta formæ et privationi, dicitur materia prima, propter hoc quod ante ipsam non est alia materia.

Et hoc etiam dicitur yle.

Et quia omnis definitio et omnis cognitio est per formam, ideo materia prima per se non potest cognosci vel definiri sed per comparisonem ut dicatur quod illud est materia prima, quod hoc modo se habet ad omnes formas et privationes sicut æs ad idolum et infiguratum.

Et hæc dicitur simpliciter prima.

Potest etiam aliquid dici materia prima respectu alicuius generis, sicut aqua est materia liquabilium. Non tamen est prima simpliciter, quia est composita ex materia et forma, unde habet materiam priorem.

Et sciendum quod materia prima, et etiam forma, non generatur neque corrumpitur, quia omnis generatio est ad aliquid ex aliquo. Id autem ex quo est generatio, est materia; id ad quod est forma. Si igitur materia vel forma generaretur, materiæ esset materia, et formæ forma, in infinitum.

Unde generatio non est nisi compositi, proprie loquendo.

Sciendum est etiam, quod materia prima dicitur una numero in omnibus.

Sed unum numero dicitur duobus modis: scilicet quod habet unam formam determinatam in numero, sicut Socrates: et hoc modo materia prima non dicitur unum numero, cum in se non habeat aliquam formam.

Dicitur etiam aliquid unum numero, quia est sine dispositionibus quæ faciunt differre secundum numerum: et hoc modo dicitur materia prima unum numero, quia intelligitur sine omnibus dispositionibus a quibus est differentia in numero.

Et sciendum quod licet materia non habeat in sua natura aliquam formam vel privationem, sicut in ratione æris neque est figuratum neque infiguratum; tamen nunquam denudatur a forma et privatione: quandoque enim est sub una forma, quandoque sub alia. Sed per se nunquam potest esse, quia cum in ratione sua non habeat aliquam formam, non habet esse in actu, cum esse in actu non sit nisi a forma, sed est solum in potentia. Et ideo quicquid est actu, non potest dici materia prima.

CAPITULUS 3

Ex dictis igitur patet tria esse naturæ principia scilicet materia, forma et privatio. Sed hæc non sunt sufficientia ad generationem.

Quod enim est in potentia, non potest se reducere ad actum: sicut cuprum quod est potentia idolum, non facit se idolum, sed indiget operante, qui formam idoli extrahat de potentia in actum.

Forma etiam non extraheret se de potentia in actum (et loquor de forma generati, quam diximus esse terminum generationis); forma enim non est nisi in facto esse: quod autem operatur est in fieri, idest dum res fit. Oportet ergo præter materiam et formam esse aliquod principium quod agat, et hoc dicitur esse efficiens, vel movens, vel agens, vel unde est principium motus.

Et quia, ut dicit Aristoteles in secundo *Metaph.*, omne quod agit, non agit nisi intendendo aliquid, oportet esse aliud quartum, id scilicet quod intenditur ab operante: et hoc dicitur finis.

Et sciendum, quod omne agens tam naturale quam voluntarium intendit finem, non tamen sequitur quod omne agens cognoscat finem, vel deliberet de fine. Cognoscere enim finem est necessarium in his quorum actiones non sunt determinatæ, sed se habent ad opposita, sicut se habent agentia voluntaria; et ideo oportet quod cognoscant finem per quem suas actiones determinent. Sed in agentibus naturalibus sunt actiones determinatæ: unde non est necessarium eligere ea quæ sunt ad finem.

Et ponit exemplum Avicenna de citharædo quem non oportet de qualibet percussione chordarum deliberare, cum percussiones sint determinatæ apud ipsum; alioquin esset inter percussiones mora, quod esset absonum. Magis autem videtur de operante voluntarie quod deliberet, quam de agente naturali. Et ita patet per locum a maiori, quod possibile est agens naturale sine deliberatione intendere finem: et hoc intendere nihil aliud erat quam habere naturalem inclinationem ad aliquid.

Ex dictis ergo patet, quod sunt quatuor causæ: scilicet materialis, efficiens, formalis et finalis.

Licet autem principium et causa dicantur convertibiliter, ut dicitur in quinto *Metaph.*, tamen Aristoteles in lib. *Physic.* ponit quatuor causas et tria principia. Causas autem accipit tam pro extrinsecis quam pro intrinsecis. Materia et forma dicuntur intrinsecæ rei, eo quod sunt partes constituentes rem; efficiens et finalis dicuntur extrinsecæ, quia sunt extra rem. Sed principia accipit solum causas intrinsecas. Privatio autem non nominatur inter causas, quia est principium per accidens, ut dictum est. Et cum dicimus quatuor causas, intelligimus de causis per se, ad quas tamen

causæ per accidens reducuntur, quia omne quod est per accidens, reducitur ad id quod est per se.

Sed licet principia ponat Aristoteles pro causis intrinsecis in primo *Physic.*, tamen, ut dicitur in undecimo *Metaph.*, principium dicitur proprie de causis extrinsecis, elementum de causis quæ sunt partes rei, idest de causis intrinsecis, causa dicitur de utrisque. Tamen aliquando unum ponitur pro altero.

Omnis enim causa potest dici principium, et omne principium causa. Sed tamen causa videtur addere supra principium communiter dictum, quia id quod est primum, sive consequatur esse posterius sive non, potest dici principium, sicut faber dicitur principium cultelli, ut ex eius operatione est esse cultelli.

Sed quando aliquid movetur de nigredine ad albedinem, dicitur quod nigrum est principium illius motus; et universaliter omne id a quo incipit esse motus dicitur principium: tamen nigredo non est id ex quo consequatur esse albedo.

Sed causa solum dicitur de illo primo ex quo consequitur esse posterioris: unde dicitur quod causa est ex cuius esse sequitur aliud. Et ideo illud primum a quo incipit esse motus, non potest dici causa per se etsi dicatur principium: et propter hoc privatio ponitur inter principia, et non inter causas, quia privatio est id a quo incipit generatio. Sed potest etiam dici causa per accidens, inquantum concidit materiæ, ut supra expositum est.

Elementum vero non dicitur proprie nisi de causis ex quibus est compositio rei, quæ proprie sunt materiales.

Et iterum non de qualibet causa materiali, sed de illa ex qua est prima compositio: sicut nec membra elementa sunt hominis, quia membra etiam sunt composita ex aliis; sed dicimus quod terra et aqua sunt elementa, quia hæc non componuntur ex aliis corporibus, sed ex ipsis est prima compositio corporum naturalium.

Unde Aristoteles in quinto *Metaph.* dicit quod elementum est id ex quo componitur res primo, et est in ea, et non dividitur secundum formam.

Expositio primæ particulæ, ex quo componitur res primo, patet per ea quæ diximus.

Secunda particula, scilicet et est in ea, ponitur ad differentiam illius materiæ quæ ex toto corrumpitur per generationem: sicut panis est materia sanguinis, sed non generatur sanguis nisi corrumpatur panis; unde panis non remanet in sanguine: unde non potest dici panis elementum sanguinis. Sed elementa oportet aliquo modo manere, cum non corrumpantur, ut dicitur in libro *De gener.*

Tertia particula, scilicet et non dividitur secundum formam, ponitur ad differentiam eorum scilicet quæ habent

partes diversas in forma, idest in specie, sicut manus, cuius partes sunt caro et ossa, quæ differunt secundum speciem.

Sed elementum non dividitur in partes diversas secundum speciem, sicut aqua, cuius quælibet pars est aqua. Non enim oportet ad esse elementi ut non dividatur secundum quantitatem, sed sufficit si non dividatur secundum spe-

ciem: et si etiam non dividatur, dicitur elementum, sicut litteræ dicuntur elementa dictionum.

Patet igitur quod principium quodam modo in plus habet se quam causa; et causa in plus quam elementum. Et hoc est quod dicit Commentator in quinto *Metaph.*

CAPITULUS 4

Viso igitur quod quatuor sunt causarum genera, sciendum est quod non est impossibile quod idem habeat plures causas: ut idolum cuius causa est cuprum et artifex, sed artifex ut efficiens, cuprum ut materia. Non autem est impossibile ut idem sit causa contrariorum: sicut gubernator est causa salutis navis et submersionis, sed huius per absentiam, illius quidem per præsentiam.

Sciendum est etiam quod possibile est ut aliquid idem sit causa et causatum respectu eiusdem, sed diversimode: ut deambulatio est causa sanitatis ut efficiens, sed sanitas est causa deambulationis ut finis: deambulatio enim est aliquando propter sanitatem. Et etiam corpus est materia animæ, anima vero est forma corporis.

Efficiens enim dicitur causa respectu finis, cum finis non sit in actu nisi per operationem agentis: sed finis dicitur causa efficientis, cum non operetur nisi per intentionem finis. Unde efficiens est causa illius quod est finis: ut sit sanitas; non tamen facit finem esse finem, et ita non est causa causalitatis finis, idest non facit finem esse finalem: sicut medicus facit sanitatem esse in actu, non tamen facit quod sanitas sit finis.

Finis autem non est causa illius quod est efficiens, sed est causa ut efficiens sit efficiens: sanitas enim non facit medicum esse medicum (et dico sanitatem quæ fit operante medico), sed facit ut medicus sit efficiens. Unde finis est causa causalitatis efficientis, quia facit efficiens esse efficiens: similiter facit materiam esse materiam, et formam esse formam, cum materia non suscipiat formam nisi per finem, et forma non perficiat materiam nisi per finem. Unde dicitur quod finis est causa causarum, quia est causa causalitatis in omnibus causis.

Materia enim dicitur causa formæ, inquantum forma non est nisi in materia; et similiter forma est causa materiæ, inquantum materia non habet esse in actu nisi per formam. Materia enim et forma dicuntur relative ad invicem, ut dicitur in secundo *Physicorum*. Dicuntur enim ad compositum sicut partes ad totum, et simplex ad compositum.

Sed quia omnis causa, inquantum est causa, naturaliter prior est causato, sciendum quod prius dicitur duobus modis, ut dicit Aristoteles in decimosexto *De Animal.*; per quorum diversitatem potest aliquid dici prius et posterius respectu eiusdem, et causa et causatum.

Dicitur enim aliquid prius altero generatione et tempore, et iterum in substantia et complemento. Cum ergo naturæ operatio procedat ab imperfecto ad perfectum, et ab incompleto ad completum, imperfectum est prius perfecto, secundum generationem et tempus, sed perfectum est prius in complemento: sicut potest dici quod vir est ante puerum in substantia et complemento, sed puer est ante virum generatione et tempore.

Sed licet in rebus generabilibus imperfectum sit prius perfecto, et potentia prior actu, considerando in aliquo eodem quod prius est imperfectum quam perfectum, et in potentia quam in actu, simpliciter tamen loquendo, oportet actum et perfectum prius esse: quia quod reducit potentiam ad actum, actu est, et quod perficit imperfectum, perfectum est.

Materia quidem est prior forma generatione et tempore: prius enim est cui advenit, quam quod advenit.

Forma vero est prior materia perfectione, quia materia non habet esse completum nisi per formam. Similiter efficiens prior est fine generatione et tempore, cum ab efficiente fiat motus ad finem; sed finis est prior efficiente inquantum est efficiens, in substantia et complemento, cum actio efficientis non compleatur nisi per finem. Igitur istæ duæ causæ, scilicet materia et efficiens, sunt prius per viam generationis; sed forma et finis sunt prius per viam perfectionis.

Et notandum quod duplex est necessitas: scilicet necessitas absoluta et necessitas conditionalis.

Necessitas quidem absoluta est quæ procedit a causis prioribus in viam generationis, quæ sunt materia et efficiens: sicut necessitas mortis quæ provenit ex materia et ex dispositione contrariorum componentium; et hæc dicitur absoluta quia non habet impedimentum. Hæc etiam dicitur necessitas materiæ.

Necessitas autem conditionalis procedit a causis posterioribus in generatione, scilicet a forma et fine: sicut dicimus quod necessarium est esse conceptionem, si debeat generari homo; et ista est conditionalis, quia hanc mulierem concipere non est necessarium simpliciter, sed sub conditione, si debeat generari homo. Et hæc dicitur necessitas finis.

Et est sciendum quod tres causæ possunt incidere in unum, scilicet forma, finis, et efficiens: sicut patet in generatione ignis. Ignis enim generat ignem, ergo ignis est causa efficiens inquantum generat; et iterum ignis est forma inquantum facit esse actu quod prius erat potentia; et iterum est, finis inquantum est intentum ab agente et inquantum terminantur ad ipsum operationes ipsius agentis.

Sed duplex est finis, scilicet finis generationis, et finis rei generatæ: sicut patet in generatione cultelli. Forma enim cultelli est finis generationis; sed incidere, quod est operatio cultelli, est finis ipsius generati, scilicet cultelli.

Finis autem generationis concidit ex duabus dictis causis aliquando, scilicet quando fit generatio a simili in specie,

sicut homo generat hominem, et oliva olivam: quod non potest intelligi de fine rei generatæ.

Sciendum autem quod finis incidit cum forma in idem numero, quia illud idem in numero quod est forma generati est finis generationis.

Sed cum efficiente non incidit in idem numero, sed in idem specie. Impossibile est enim ut faciens et factum sint idem numero, sed possunt esse idem specie: ut quando homo generat hominem, homo generans et generatus sunt diversa in numero sed idem in specie.

Materia autem non concidit cum aliis, quia materia, ex eo quod est ens in potentia, habet rationem imperfecti, sed aliæ causæ cum sint actu, habent rationem perfecti; perfectum autem et imperfectum non concidunt in idem.

CAPITULUS 5

Viso igitur quod sint quatuor causæ, scilicet efficiens, materialis, formalis et finalis, sciendum est quod quælibet istarum causarum dividitur multis modis.

Dicitur enim aliquid causa per prius, et aliquid per posterius, sicut dicimus quod ars et medicus sunt causa sanitatis: sed ars est causa per prius, et medicus per posterius; et similiter in causa formali, et in aliis causis. Et nota quod semper debemus reducere quæstionem ad primam causam, ut si quæatur: quare est iste sanus? dicendum est: quia medicus sanavit et iterum, quare medicus sanavit propter artem sanandi quam habet.

Sciendum est quod idem est dictu causa propinqua quod causa posterior, et causa remota quod causa prior.

Unde istæ duæ divisiones causarum: alia per prius, alia per posterius; et causarum alia remota, alia propinqua, idem significant.

Hoc autem observandum est, quod semper illud quod universalius est, causa remota dicitur, quod autem specialius, causa propinqua: sicut dicimus quod forma hominis propinqua est sua definitio, scilicet animal rationale mortale, sed animal est magis remota, et iterum substantia remotior est.

Omnia enim superiora sunt formæ inferiorum.

Et similiter materia idoli propinqua est cuprum, sed remota est metallum, et iterum remotius corpus.

Item causarum alia est per se, alia per accidens. Causa per se dicitur causa alicuius rei inquantum huiusmodi, sicut ædificator est causa domus, et lignum materia scamni. Causa per accidens est illa quæ accidit causæ per se, sicut cum dicimus grammaticus ædificat. Grammaticus enim dicitur causa ædificationis per accidens, non enim inquantum grammaticus, sed inquantum accidit ædificatori.

Et similiter est in aliis causis.

Item causarum quædam est simplex, et quædam composita. Simplex causa dicitur quando solum dicitur causa illud quod per se est causa, vel etiam solum illud quod est per accidens: sicut si dicamus ædificatorem esse causam domus, et similiter si dicamus medicum esse causam domus. Composita autem dicitur quando utrumque dicitur causa, ut si dicamus: ædificator medicus est causa domus.

Potest etiam dici causa simplex, secundum quod exponit Avicenna, illud quod sine adiunctione alterius est causa, sicut cuprum idoli, sine adiunctione enim alterius materiæ ex cupro fit idolum; et sicut dicitur quod medicus facit sanitatem, vel quod ignis calefacit. Composita autem causa est, quando oportet plura advenire ad hoc quod sit causa: sicut unus homo non est causa motus navis, sed multi; et sicut unus lapis non est materia domus, sed multi.

Item causarum quædam est actu, quædam potentia. Causa in actu est quæ actu causat rem, sicut ædificator cum ædificat, vel cuprum cum ex eo est idolum.

Causa autem in potentia est quæ licet non causet rem in actu, tamen potest causare: ut ædificator, dum non ædificat.

Et sciendum quod loquendo de causis in actu, necessarium est causam et causatum simul esse, ita quod si unum sit, et alterum. Si enim est ædificator in actu, oportet quod ædificet; et si sit ædificatio in actu, oportet quod sit ædificator in actu.

Sed hoc non est necessarium in causis quæ sunt solum in potentia.

Sciendum est autem quod causa universalis comparatur causato universali, causa vero singularis comparatur causato singulari: sicut dicimus quod ædificator est causa domus, et hic ædificator huius domus.

CAPITULUS 6

Sciendum est etiam quod loquendo de principiis intrinsecis, scilicet materia et forma, secundum convenientiam principiorum et differentiam est convenientia et differentia principiorum: quædam enim sunt idem numero, sicut Socrates et hic homo demonstrato Socrate; quædam sunt diversa numero et sunt idem in specie, ut Socrates et Plato, qui, licet convenient in specie humana, tamen differunt numero. Quædam autem differunt specie, sed sunt idem genere, sicut homo et asinus conveniunt in genere animalis; quædam autem sunt diversa in genere, sed sunt idem solum secundum analogiam, sicut substantia et quantitas, quæ non conveniunt in aliquo genere, sed conveniunt solum secundum analogiam: conveniunt enim in eo solum quod est ens. Ens autem non est genus, quia non prædicatur univoce, sed analogice.

Ad huius intelligentiam sciendum est, quod tripliciter aliquid prædicatur de pluribus: univoce, æquivoce et analogice.

Univoce prædicatur quod prædicatur secundum idem nomen et secundum rationem eandem, idest definitionem, sicut animal prædicatur de homine et de asino. Utrumque enim dicitur animal, et utrumque est substantia animata sensibilis, quod est definitio animalis.

Æquivoce prædicatur, quod prædicatur de aliquibus secundum idem nomen, et secundum diversam rationem: sicut canis dicitur de latrabili et de cælesti, quæ conveniunt solum in nomine, et non in definitione sive significatione: id enim quod significatur per nomen, est definitio, sicut dicitur in quarto *Metaph.*

Analogice dicitur prædicari, quod prædicatur de pluribus quorum rationes diversæ sunt sed attribuuntur uni alicui eidem: sicut sanum dicitur de corpore animalis et de urina et de potione, sed non ex toto idem significat in omnibus.

Dicitur enim de urina ut de signo sanitatis, de corpore ut de subiecto, de potione ut de causa; sed tamen omnes istæ rationes attribuuntur uni fini, scilicet sanitati.

Aliquando enim ea quæ conveniunt secundum analogiam, id est in proportionem vel comparisonem vel convenientiam, attribuuntur uni fini, sicut patet in prædicto exemplo; aliquando uni agenti, sicut medicus dicitur et de eo qui operatur per artem et de eo qui operatur sine arte, ut vetula, et etiam de instrumentis, sed per attributionem ad unum agens, quod est medicina; aliquando autem per attributionem ad unum subiectum, sicut ens dicitur de substantia, de qualitate et quantitate et aliis prædicamentis.

Non enim ex toto est eadem ratio qua substantia est ens, et quantitas, et alia, sed omnia dicuntur ex eo quod attribuuntur substantiæ, quod est subiectum aliorum. Et ideo ens dicitur per prius de substantia, et per posterius de aliis. Et ideo ens non est genus substantiæ et quantitatis, quia nullum genus prædicatur per prius et posterius de suis speciebus, sed prædicatur analogice.

Et hoc est quod diximus quod substantia et quantitas differunt genere, sed sunt idem analogia.

Eorum igitur quæ sunt idem numero, forma et materia sunt idem numero, ut Tullii et Ciceronis. Eorum autem quæ sunt idem in specie diversa numero, etiam materia et forma non est eadem numero, sed specie, sicut Socratis et Platonis.

Et similiter eorum quæ sunt idem genere, et principia sunt idem genere: ut anima et corpus asini et equi differunt specie, sed sunt idem genere. Et similiter eorum quæ conveniunt secundum analogiam tantum, principia sunt eadem secundum analogiam tantum, sive proportionem.

Materia enim et forma et privatio, sive potentia et actus, sunt principia substantiæ et aliorum generum. Tamen materia substantiæ et quantitatis, et similiter forma et privatio differunt genere, sed conveniunt solum secundum proportionem in hoc quod, sicut se habet materia substantiæ ad substantiam in ratione materiæ, ita se habet materia quantitatis ad quantitatem. Sicut tamen substantia est causa ceterorum, ita principia substantiæ sunt principia omnium aliorum.